



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Richardvs Episcopvs. 3. Aprilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

3. Quamdiu vixit, Christianam coluit humilitatē; amabat nesciri, & pro nihilo reputari, nec prius venit in aulam Ludovici XI, quam iusserit summus Pontifex. Minimorum nomen, quo filios suos vocari voluit, satis indicat, quantum amaret humilitatem. Hujus sancti exemplo *Vanitatem tanto magis fuge, quanto melior effectus es; cetera enim vitia crescunt vitiis, vanitas virtutibus.* Eucher.

S. RICHARDVS
EPI COPVS.

3. Aprilis.

*Beati pauperes Spiritu, quoniam
ipsorum est regnum caelorum.*
Matth. c. 5.

RICHARDUS natione Anglus fratris inopiam servilibus ministeriis voluntate susceptis, levavit, eidemq; paternam hereditate, pactoque nobilis & opulentæ virginis matrimonio cessit. Dum litteris navaret operam, nullo certo vivendi præsidio, communi cum sodalibus duobus pallio, vicissim scholas aditurus utebatur. In Episcopatus fastigium evedtus, cum honore, ut assolet, non mutavit morem, paupertatem à se fugientem velut elapsam bonam fortunam in-

secu-

secutus: aureis quippe argenteisque vasis in
 pauperum annonam expensis præstare didi-
 tabat fictilibus, more parentis, cænare, quàm
 Christum egenorum turbâ representatum
 esurire. Vno pane mille homines saturavit,
 Deo voluntati benefaciendi facultatem sug-
 gerente. Aliquot domorum suarum, incca-
 dium restrictæ ad largiendum manûs vindi-
 ctam est interpretatus; & quos multi con-
 vicio à se manûq; rejiciunt inopes, tanquã
 accepturus, non daturus beneficium, ad pe-
 tendum blando affatu excitabat: cujus sa-
 rationem postulatus, illud ex divinis litteris
 protulit: *Domine prevenisti eum in benedictionibus
 dulcedinis.* Sub mortem notum Deiparæ cul-
 toribus carmen à Sacerdotibus lectulo ad-
 stantibus iterari voluit:

Maria mater gratiæ, Mater misericordiæ,
 Tu nos ab hoste protege, & horâ mortis sus-
 cipe.

Immortuus est sacræ crucis complexibus,
 ad annum M. CC. XLV.

Ex Surio

MEDITATIO

De paupertate & divitiis.

SI es pauper, vel quia Deus negavit tibi divitias,
 Stias, vel quia eas sponte reliquisti, ut pange-

rem Religiosorum vitam amplectereris, ama paupertatem tuam. Esto verus pauper spiritu, & refræna sollicitam habendi cupiditatem: expecta partem tuam hæreditatis, gloriam nimirum cælestem; nullum alium Thesaurum habere velis, præter Deum tuum, quem gratiâ possidere potes. Si Deum possideris, possidebis omnia, & vitam viues felicissimam. *Quis potest esse pauper? qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo dives est. Minutius.*

2. Si divitiis factis instructus, copiam inter & inopiam modum tenes, hanc ne fugias, ut illam parum æquis rationibus assequaris. Vide eos, qui sunt pauperiores te, & tuæ tibi fortunæ mediocritas placebit, gratiasque referes Deo, quod factus sis compos voti Salomonis, agebat enim: *Paupertatem & divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria.*

3. Divitiis si affluas, cave tibi, pauperibus enim, non divitibus promissum est Regnum Cælorum. Si bonis terrestribus irretiêre, vix volabis ad cælestia. O! quàm difficile est, ea non amare, quæ tanto labore quæxivisti. An hæc odio habiturus es, quibus amorem tibi concilias & famam? Heu divites! quanto in periculo versamini! Timendum vobis est, ne cælestibus bonis privemini, quia abundantis terrenis.